



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

X. Ne monachus vel alius religiosus recipiatur sub precio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.
episcoporum iura præripiunt, & contra canonicas
corum sententias & tenorem priuilegiorum no-
strorum venire præsumunt, præcipimus obseruari.
Si autem contra hoc institutum venerint, & ec-
clesiae in quibus ista præsumperint, subiaceant in-
terdicto, & quod egerint, irritum habeatur.

X.

Monachi non precio recipientur in monasterio,
non peculium permittantur habere, non singuli per
villas & opida, seu ad quascumque parochiales po-
nuntur ecclesias: sed in maiori conuentu, aut cum
aliquibus fratribus maneant: nec soli inter sæcula-
res homines spiritualium hostium confictionem
expectent, Salomone dicente: *Væ soli, quia si ce- Ecdes. 4.*
ciderit non habet subleuantem.* Si quis autem exa-
ctus, pro sua receptione aliquid dederit, ad sa-
cros ordines non ascendat. * Is autem qui acce-
perit, officii sui * priuatione mulctetur. Si vero pe-
culium habuerit, nisi ei ab abbatte pro iniuncta fue-
rit administratione permisum, a communione re-
moueatur altaris: & qui in extremis cum peculio
inuentus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter
fratres recipiat sepulturam. Quod etiam de * di-
uersis religiosis præcipimus obseruari. Abbas etiam
qui ista diligenter non curauerit, officii sui iactu-
ram se nouerit incursum. Prioratus quoque si-
ue obedientiæ, precii datione nulli tradantur.
Alioqui & dantes & accipientes a ministerio fiant
ecclesiastico alieni. Piores vero cum in conuen-
tualibus ecclesiis fuerint * constituti, nisi pro ma-
nifesta causa & rationabili non mutentur, vide-

* vniuer-
sitate
* per ele-
ctionem
capitulo-
rum fu-
rum ca-
nonice
fuerint
inducti,
nisi &c.

Concil. Tom. 27.

LII

licet si fuerint dilapidatores , nec continenter vi-
xerint , aut aliquid tale egerint , pro quo amo-
uendi merito videantur : aut si etiam pro necessi-
tate maioris officii , de * consilio fratrum fuerint •
transferendi.

X I.

Clerici in sacris ordinibus constituti , qui mu-
lierculas suas in domibus suis incontinentiae nota
tenuerint , aut abiificant eas , & continenter viuant ,
aut ab officio & beneficio ecclesiastico fiant alieni .
Quicumque incontinentia illa quæ contra natu-
ram est , propter quam venit ira Dei in filios diffi-
dentiæ , & quinque ciuitates igne consumpsit , de-
prehensi fuerint laborare , si clerici fuerint , eiiciantur
a clero , vel ad pœnitentiam agendam in mo-
nasteriis detrudantur : si laici , excommunicationi
subdantur , & a cœtu fidelium fiant prorsus alieni .
Monasteria præterea sanctorialium si quis-
quam clericus sine manifesta , & necessaria causa
frequentare præsumperit , per episcopum arcea-
tur : & si non destiterit , a beneficio ecclesiastico
reddatur immunis.

X II.

Clerici in subdiaconatu & supra , & in mino-
ribus quoque ordinibus , si stipendiis ecclesiasticis
sustententur , coram iudice sacerdotali * aduocati in
* negotiis fieri non præsumant , nisi propriam , vel
ecclesiæ suæ causam fuerint prosecuti , aut pro mise-
rabilibus forte personis , quæ proprias causas ad-
ministrare non possunt . Sed nec procurations
villarum , aut iurisditiones etiam sacerdtales sub